



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Francisci Toleti S. R. E. Cardinalis Svmma Casvvm
Conscientiæ, Sive De Instrvctione Sacerdotvm Lib. VII**

**Toledo, Francisco de
Coloniæ Agrippinæ**

66. De odio inuidia, & tristitia bonæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40916

non est Papa, & hoc veniale est ex se. Quando autem appetitur in malum finem temporalia, tunc tristitia omnis mala est, & tantum peccatum, quantum est desiderium talium bonorum ob illum finem.

Indignatio autem est, qua tristamur de bono alicuius, quia indignus est tali bono: & hoc locum habet in temporalibus. Et attende, quod non loquimur, quando ista indignatio est contra iustitiam, & qui dolet ob hoc, dolet, quia iniustitia committitur, de hoc enim dicemus post; sed de eo qui dolet, quia videt huiusmodi temporalia collocata in hominibus indignis & non ob alium finem dolet. Huiusmodi indignatio, ut dicit S. Tho. & Caiet. loc. cit. si non aliud habet, quam quod dictum est, mala est, & ex se veniale; nam cum id, de quo dolet, nec sit malum culpæ, nec pænæ, videtur quodammodo arguere Deum & dolere, quasi iniustitia sit ex parte datoris. Est ergo mala talis indignatio; & si prorumpat in id, quod Deum arguat, quod iniustus sit, & male distribuat, est grauissimum mortale peccatum & blasphemia. Hæc indignatio Psal. 36 reprehenditur, *Desine ab ira*, inquit, *& relinque furorem*. Si autem talis indignatio sit, quia mali abutuntur bonis, vel alio bono sine, iam ad aliam tristitiam pertinet hoc, ut dicemus.

De odio, inuidia, & tristitia bona.

C A P V T LXVI.

Tristitia, quæ ex odio procedit, iudicanda est ex ipso odio. Cum enim malum alicui volumus propter ipsum subiectum & personam, quæ inimica est nobis, tunc peccatum est; & si malum est graue, & odium ex libera voluntate, mortale est, secus, veniale. Simili modo se habet huiusmodi tristitia, quæ, si de bono graui, & ex libertate sit, mortale est, secus autem, veniale. Inuidia autem secundum S. Tho. & omnes Doctores ex genere suo mortale est, & de facto est mortale, si duæ adsint conditiones.

Vna est, cum est voluntatis consensus: sæpè enim solum est quidam motus in parte sensitiua, aut voluntate, sed subitus, & ferè naturalis, quo homo tristatur de bono æqualis; & tunc ad summum est veniale: nam mortale exigit voluntatis plenum consensum.

Altera est, quod bonum, de quo tristamur, sit graue: cum

enim

enim leue est, vt pueris solet accidere, qui in leuibus lo-
lent socijs inuidere, veniale peccatum est. Reliquæ duæ tristi-
tiæ, quæ ex charitate & iustitiâ sunt, bonæ sunt. Licet tritari
de sanitate alicuius, quia occasio est illi peccandi mortaliter:
in quo casu licet illi malum velle, & infirmitatem ob bonum
maius. Licet etiam tritari, quia dignitates dantur indignis, &
violatur iustitia. Licet tritari, quia viuunt Hæresiarchæ, &
aliorum corruptores; & licet illis mortem desiderare, ne alios
infectant; & ne alijs tantum malum inferant. Ex his multorum
casuum resolutio patet.

De filiabus inuidiæ.

CAPVT LXVII.

Quinque filiæ inuidiæ assignantur, odium, susurratio,
detractio, gaudiū in aduersis proximi, & afflictio in pro-
speris.

Odium est, quo alicui malum volumus ob malum ipsius,
& non ob aliquod bonum eius, vel alterius: & hoc peccatum est,
de quo diximus in lib. 4. instructionis.

Susurratio est, qua famam auferimus in occulto.

Detractio verò, qua in manifesto: & de his diximus in l. 5.

Gaudium in aduersis proximi, peccatum est; & si malum
proximi, de quo gaudemus, graue est, & gaudium sit ex ratio-
nis consensu, mortale est.

Afflictio in prosperis, est tristitia de bonis proximi. Inuidus
enim duas habet tristitias.

Altera est, de bono proximi, prout per ipsum videtur pro-
pria minui excellentia; & hæc est ipsa inuidia.

Altera est consequens: nam inuidus vellet nihil boni ac-
cedere inuidioso, & bonum eius impedire conatur, saltem deside-
rio. Quando ergo et tale bonum euenit, quia contra inuidi
voluntatem euenit, affligitur & tristatur: & hæc tristitia est fi-
lia inuidiæ, vt habet S. Tho. loco citato; & est peccatum

eo modo, quo gaudium in aduersis. Hæc
satis sunt de inuidia.

(...)